An. et vol. XCVI 3 Novembris 2004 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

quibus Danieli Comboni Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Caritas Christi urget nos, aestimantes hoc quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt » (*2 Cor* 5, 14).

Haec Apostoli verba recte insigni illi Evangelii praeconi conveniunt, qui fuit beatus episcopus, missionarius et conditor, scilicet Daniel Comboni, cuius vita uno Domini Iesu anhelitu ducta est: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient et fient unus grex, unus pastor » (*Io* 10, 16). Caritas potissimum eum compulit ut se impigre Africae evangelizationi dicaret ac firma spes multiplicia eius incepta direxit, cum pro certo haberet Ecclesiam tandem inter dilectos filios Afras quoque gentes annumeraturam. Humano sensu praeditus dotibusque haud communibus intellectus, Daniel Comboni die XV mensis Martii anno MDCCCXXXI in oppido Limone Gardensi, dioecesis Brixiensis, ortus est. Veronae tamen in humanis theologicisque disciplinis excultus est ibique missionalem sensum percepit, apud institutum Mazza praesertim, ubi est receptus. Die XXXI mensis Decembris anno MDCCCLIV Tridenti presbyterali ordine auctus est atque paucis post annis Africam medianam petiit, ex qua expeditione, licet brevitate et opinata iactura afficeretur, summa tamen cupiditate est inflammatus Ecclesiae novam certioremque evangelizationis viam demonstrandi, ut Evangelium in Africam induceretur. Providens Deus, qui eum sua vigili tutela custodiebat, inopinate viam demonstravit. Cum namque die XV mensis Septembris anno MDCCCLXIV apud Apostoli Petri sepulcrum

oraret, rationem invenit Africam renovandi, scilicet « Africam per Africam salvandi ». Eius insuper fuit propositum clerum, sorores caritatis, catechistas, magistros, matresfamilias illius loci, non iam in Europa, instituere, ut suis viribus suam operam in fidem diffundendam cultumque christianum in illius continentis regionibus conferrent. Decessor Noster Pius IX Dei Servum ad hoc propositum consummandum incitavit, cum diceret: « Labora sicut bonus miles Christi pro Africa ». Ex quo tempore eius opera maius ecclesiale pondus acquirere videbatur, praeter quam quod altitudinem efficaciamque pro novis spiritalibus iam perfectis institutionibus ac spiritalibus magnique momenti inceptis adipiscebatur. Studiosus sic missionarius complura missionalis operis itinera suscepit in praestantiores dioeceses ac Europae nationes isque Concilio Vaticano I interfuit, qui Patribus exhibuit « Postulatum Pro Nigris Africae Centralis ». Interea opem Episcopo Veronensi Aloisio Canossa ferente, die I mensis Iunii anno MDCCCLXVII Institutum pro Nigritiae missionibus condiderat, cuius sodales hodie « Missionarii Comboniani Cordis Iesu » vocantur et I die mensis Ianuarii anno MDCCCLXXII Institutum Piarum Matrum Nigritiae fundaverat, quae hodie « Sorores Missionariae Combonianae » nuncupantur. Petri Sedes tantam missionali causae dicationem sustinuit agnovitque. Die enim XXVI mensis Maii eodem anno languentem Vicariatum Africae Centralis Instituto pro Nigritiae missionibus commisit et Danielem Comboni provicarium Apostolicum, in Khartumensi urbe posita sede, elegit, qui die XXXI mensis Iulii anno MDCCCLXXVII Episcopus et eiusdem Sedis Vicarius, addito titulo Claudianopolitano, est nominatus. Daniel Comboni operam suam missionalem aluit, ex perenni vitae trinitariae amoris fonte hauriens vim, qui in Iesu vulnerato Corde manifestatur ipseque maternae Mariae Virginis, venustioribus Matris et Reginae Nigritiae, Immaculatae Nostraeque Dominae Sacri Cordis vocabulis invocatae, tutelae sese et Sancti Ioseph praesidio addixit. Cordi Iesu et Dominae Nostrae Sacri Cordis suum Vicariatum dicavit. Usque erga Ecclesiam eiusque personam sustinentes dilectione et in communione egit, ob oculos suae operae habens propositum, Evangelium diffundere, Ecclesiam localem germanam promovere, ad eiusdem regenerationem universis collectis viribus, servitutem amovere. Hanc calcans viam, Christi crucis significationem invenit eamque amplexatus est, ex qua vim hausit ut totum se « pauperibus desertioribusque » iuvandis dicaret itemque fortitudinem repperit ut complures difficultates oppeteret et superaret et spem invenit ut futurum aevum fidenter respiceret. LI annos natu, cum totum se Deo, Ecclesiae et Africae dicavisset, die X mensis Octobris anno MDCCCLXXXI Khartumensi in urbe de hoc mundo discessit, fructus divinans pro Institutis a se conditis et Ecclesia in Sudania. Eius sanctitatis fama eiusque actuositatis memoria etiam nunc sunt causae cur missionale Dei Ecclesiae studium inci-

tetur, civilis societas admiratione afficiatur et mundus insuper ad aequiores vitae condiciones instanter vocetur.

Beatificationis et canonizationis causa ab Episcopo Veronensi anno MCMXXVIII incohata est. Nos Ipsi die XVII mensis Martii anno MCMXCVI Dei Servum in Beatorum catalogum rettulimus. Canonizationis gratia altera sanatio felici cum exitu vestigata est, quae Khartumensi in urbe muslimae mulieri, Lubna Abdel Aziz contigit. Die XX mensis Decembris anno MMII, Nobis coram Decretum de miraculo prodiit. In Consistorio, die VII mensis Martii anno MMIII, statuimus ut canonizationis ritus die V mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam: «Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Danielem Comboni, Arnoldum Janssen et Iosephum Freinademetz Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Coram omnibus hominibus huius caelitis volumus extollere virtutes, qui Evangelio diffundendo indefessam dedit operam, ut catholica fides et industria usque proferrentur et quam plurimos homines attingerent, quo cuncti supernis locupletati praesidiis uberius salutifera Domini dona adipiscerentur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 549.327

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SANCTI FELICIS DE LLOBREGAT

Ex archidioecesi Barcinonensi quodam distracto territorio nova dioecesis Sancti Felicis de Llobregat appellanda erigitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Varia inter munera quae Nobis divinitus incumbunt, prospicere debemus ut ex ecclesiasticis circumscriptionibus ubi catholica religio in dies haud parva suscepit incrementa, novae constituantur dioeceses. Cum huiusmodi petitum sit ut ex archidioecesi Barcinonensi quaedam distraherentur territoria ad novas dioeceses erigendas, peropportunum visum est Nobis huic concedere petitioni. Quapropter Nos, sententiam excipientes Congregationis pro Episcopis, omnibus mature perpensis et favente voto Venerabilis Fratris Emmanuelis Monteiro de Castro, Archiepiscopi titulo Beneventensis atque in Hispania Apostolici Nuntii, Nostra de Apostolica potestate haec statuimus et decernimus. Ex archidioecesi Barcinonensi integrum distrahimus territorium atque paroecias decanatuum vulgo *El Prat de Llobregat*, *Sant Boi de Llobregat*, *Sant Feliu de Llobregat*. *San Vicenç dels Horts*, *Montserrat*, *Garraf*, *Vilafranca del Penedès*, *Anoia*, *Piera-Capellades*, atque ex ita detractis territoriis, novam dioecesim, *Sancti Felicis de Llobregat* appellandam, iisdemque praedictis finibus circumscriptam, constituimus et erigimus; quam dioecesim metropolitanae Ecclesiae Barcinonensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi eiusdem Sedis pro tempore subicimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Sant Feliu de Llobregat* statuimus, templumque ibi exstans Deo in honorem Sancti Laurentii dicatum ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus aedes sacras pertinent. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Emmanueli Monteiro de Castro, quem diximus, vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem curatori, tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet

virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quinto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost. s. n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.608

II

UIJONGBUENSIS

In Corea nova conditur dioecesis Uijongbuensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Animarum saluti pro Apostolico Nostro munere consulere cupientibus easque aptioribus subsidiis cumulare, visum est Nobis supplices preces excipere quibus petitum est ut, quodam archidioecesis Seulensis in Corea detracto territorio, nova exinde erigeretur dioecesis. Huic favente rei Venerabili Fratre Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi et in Corea Apostolico Nuntio, facultatem facimus tale inceptum ad rem adducendi. Quapropter, sententiam excipientes Patrum Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositorum, Nostra de Apostolica potestate, haec quae sequuntur decernimus. Pars septemtrionalis territorii archidioecesis Seulensis, vulgo *Northerm Kyounggi* cum urbibus *Uijongbu*, *Koyang*, *Kuri*, *Namyang*, *Paju*, *Tongduchon-Yangju*, *Yeonchon*, ab archidioecesi quam diximus abstrahimus et ex iis novam dioecesim *Uijongbuensem* appellandam erigimus ac constituimus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Uijongbu*

statuimus templumque ibidem exstans Deo in honorem Sacri Cordis Mariae dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico cathedrales ecclesiae fruuntur. Novam erectam dioecesim Uijongbuensem metropolitanae Ecclesiae Seulensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Cetera vero secundum canonicas leges adimpleantur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Morandini, quem supra memoravimus, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Iunii, anno bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.675

III

BAGHIOPOLITANA

Vicariatus Apostolicus Baghiopolitanus ad gradum dignitatemque dioecesis evehitur quae eodem modo appellabitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Diligenter adlaborare hac in Petri cathedra conamur ut spiritalia Domini beneficia apud omnes Christifideles diffundantur atque Evangelii nuntius omnibus bonae voluntatis hominibus continuo praedicetur. Nunc vero de

progressione in fide caritateque fidelium Vicariatus Apostolici Baghiopolitani, in cara Philippina terra, omnino gaudemus qui altiore usque ratione christianum vitae modum alacriter prosequi cupiunt. Quandoquidem Venerabilis Frater Carolus J. Cenzon, C.I.C.M., Episcopus titularis Scebatianensis, Vicarius Apostolicus Baghiopolitanus, sacrorum Antistitibus Conferentiae Episcoporum in Philippinis auditis, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut praefatum Vicariatum Apostolicum ad gradum et dignitatem dioecesis eveheremus, Nosmet Ipsi, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Antonii Franco, Archiepiscopi titulo Gallesini et in Philippinis Apostolici Nuntii, cum Congregationis pro Gentium Evangelizatione consensu, de consilio Congregationis pro Episcopis, haec statuimus et decernimus. Praelaudatum Vicariatum Apostolicae de Nostrae potestatis plenitudine ad gradum et dignitatem dioecesis evehimus, *Baghiopolitanae* appellandae, quam pariter Metropolitanae Ecclesiae Novae Segobiae suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi dictae sedis subicimus. Sic conditae dioecesis sedem in urbe vulgo *Baguio* statuimus ibique templum exstans, in honorem Beatae Mariae Virginis dicatum, gradu et dignitate ecclesiae Cathedralis exornamus eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales ecclesiae fruuntur. Baghiopolitano Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus, iisdemque oneribus et officiis adstringimus quibus Praesules Ordinarii locorum gaudent ac adstringuntur. Ut sacro Pastori erectae dioecesis validum tribuatur adiutorium, Collegium Consultorum, ad normam iuris communis, quam primum instituatur. Congruae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et omnibus bonis temporalibus quae ad Vicariatum Apostolicum Baghiopolitanum pertinuerunt. Circa Seminarii dioecesani erectionem nec non sacrorum candidatorum formationem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis a Congregatione de Institutione Catholica statutis. Simul ac Baghiopolitanae dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerus eidem Vicariatui Apostolico adscriptus novae dioecesi incardinatus censeatur. Cetera cuncta ad Iuris Canonici normas exsolvantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem quem diximus Fratrem Antonium Franco deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 563.036

LITTERAE APOSTOLICAE

I

In Republica Ucraina Nuntiatura Apostolica conditur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ucrainam Nationem Romani Pontifices singulari sane cogitatione curaque per saeculorum decursum sunt prosecuti, praesertim quod ibidem plus quam mille annorum christianae exstant communitates, quae multos ediderunt pastores et sanctos eximiosque fidei suae fructus. Qua re, postquam feliciter initae sunt publicae necessitudinis rationes inter hanc Sedem Apostolicam et Rempublicam Ucrainae, Nobis peropportunum videtur Nuntiaturam Apostolicam in eadem constituere, quo aptius provideatur spiritali bono christifidelium illic commorantium. De communi igitur utriusque partis voto, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate, harum Litterarum virtute in Republica Ucrainae Nuntiaturam Apostolicam erigimus, factis iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum propria sunt.

Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Februarii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri decimo quarto.

De mandato Summi Pontificis
✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 559.881

II

Venerabili Dei Servae Liduinae Meneguzzi Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri » (*Is* 52, 10).

Ut haec prophetia adimpleretur, annorum decursu omnium stirpium culturarumque hominibus enuntiatum est Evangelium. Inter autem eos qui multum dederunt operae ut unus Salvator cognosceretur, videlicet Iesus Christus, procul dubio Venerabilis Dei Serva Liduina Meneguzzi est annumeranda, quae exemplo potius quam verbo evangelici nuntii est testificata veritatem. Ipsa enim suam ipsius vitam in Domini proximique commoditatem tradidit, impigra quadam caritate pauperes curans ac dolentes.

Haec Christi testis die XII mensis Septembris anno MCMI *Aponi* Patavinae provinciae ex modica pientissimaque familia orta est. Puella quotidie Missae celebrationi interesse solebat et catecheticae institutioni studebat. Familiae sustinendae gratia divitum familiis inservivit et quibusdam in deversoriis, prae se amabilitatis, operositatis, comitatis ferens speciem. Cum vitam consecratam affectaret, die V mensis Martii anno MCMXXVI Congregationem Sororum Sancti Francisci Salesii ingressa est. Hoc in Instituto vestiplicae, valetudinariae et aedituae sustinuit munus. Cum alumnarum esset custos in Collegio « Sanctae Crucis » commorantium, lenitudine, promptitudine recte decernendi facultate eminuit. Anno MCMXXXVII missionaria in Aethiopiam missa est, quae laetanter hoc officium suscepit, cum Christi lucem ad longinquos fratres deferre cuperet. *Dire-Dawae* addicta est, urbi nempe diversis stirpibus religionibusque refertae. Suam per amabilitatem non christianorum etiam sibi conciliavit animos. Primum nosocomii civilis aegrotis sanandis dedit operam, atque altero inito bello mundano milites sauciatos curare coepit. Amabiliter corporis spiritusque ad aerumnas infirmorum levandas summa ope nisa est. Licet operis essent difficultates, cum haud lecti, medicamenta atque chirurgica instrumenta suppeterent, quoquoversus serenitatem effudit, omnes subridens iuvando itemque in indigentioribus in Divinam Providentiam inculcando fiduciam. Cum pyroboli caderent, perculsis subveniebat, morituris assidebat, paenitentiae actus inspirabat, infirmos ante mortem baptizabat. Cunctis in rerum adiunctis in Dominum fidem significavit inque veritates revelatas. Per eucharisticam adorationem et erga Virginem Mariam devotionem suam spiritalitatem aluit. In difficilioribus circumstan-

tiis maerentes solari solebat, spem inculcans aeternae beatitudinis. Indigenis catecheticam institutionem praebuit, cum Christum nescientes Dei Ecclesiaeque amorem doceret. Assidue pro Dei gloria animarumque salute adlaboravit. Omnibus lumen monitaque quaerentibus prudens fuit consultrix. Dei mandata, Ecclesiae leges suique Instituti Regulam servavit. Parce vixit omne genus condicionibus rerumque penuriae occurrit. Ecclesiasticis Superioribus paruit. Humilis ac semper fuit simplex, sui oblita cum remisse ac leniter bonum faceret. Castimoniam servavit, cum Christum indiviso corde diligeret. Morbo insanabili correpta, Dei voluntati facile paruit ac maximos cruciatus fortiter toleravit. Die II mensis Decembris anno MCMXLI e vita cessit, frustra sectione chirurgica inita. Antequam moreretur, suam significavit laetitiam, caelestia bona praegustans atque aedificans adstantes.

Eius propter sanctitatis famam anno MCMLXIII Processus informativus incohatus est. His absolutis iure statutis rebus, Nobis coram de virtutibus heroum in modum exercitis decretum die XXV mensis Iunii anno MCMXCVI prodiit, atque die VII mensis Iulii anno MMI decretum de miraculo est evulgatum. Statuimus exinde ut beatificationis ritus die XX mensis Octobris subsequentis anni MMII celebraretur.

Hodie igitur inter Missarum sollemnia in area Sancti Petri hanc protulimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Baptistae Odama, Archiepiscopi Guluensis, Pauli Magnani, Episcopi Tarvisini, Severini Cardinalis Poletto, Archiepiscopi Taurinensis, Iacobi Barabino, Episcopi Ventimiliensis-Sancti Romuli, et Antonii Mattiazzo, Archiepiscopi-Episcopi Patavini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei David Okelo et Gildo Irwa, Andreas Hyacinthus Longhin, Marcus Antonius Durando, Maria a Passione Helena Maria de Chappotin de Neuville et Liduina Meneguzzi Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Davidis Okelo et Gildonis Irwa die vicesima Octobris, Andreae Hyacinthi Longhin die vicesima sexta Iunii, Marci Antonii Durando die decima Decembris, Mariae a Passione Helenae Mariae de Chappotin de Neuville die decima quinta Novembris et Liduinae Meneguzzi die secunda Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Octobris, anno MMII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 530.853

III

Venerabili Servae Dei Ioannae Mariae Condesa Lluch Beatorum caelitum honores tribuuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Dignus est operarius mercede sua » (*Lc* 10, 7).

Lex quam Deus hominibus tradidit statuit ut operarius, qui missionem participandi operam Creatoris cotidiano nisu exsequitur, dignitate et inalienabilibus iuribus gaudeat. Altero recurrente XIX saeculi dimidio, ardentior in dies lucri cupiditas causa exstitit haec iura laedendi. Venerabilis Serva Dei Ioanna Maria Condesa Lluch, moralia perpendens et materialia pericula quibus operarii subiciebantur ac praesertim mulieres ad laborem extra domestica saepta coactae, summopere contendit ut earum vitae condiciones in melius redderet et apud eas frugiferam evangelizationis operam ad effectum duceret. Haec fidelis Christi testis die XXX mensis Martii anno MDCCCLXII *Valentiae* ex parentibus, qui opibus sufficientibus ac christianis virtutibus praediti erant, nata est. Tres tantum annos agens a patre est orbata, qui praeclarus medicus morbo quodam correptus infirmis inserviens e vita migravit. Mater filiae institutionem privatae commisit magistrae. Adulescens, Ioanna Maria Tertium Ordinem Carmelitanum ingressa est et Archiconfraternitatem Filiarum Mariae et Sanctae Teresiae, ubi pietatis spiritu et caritate eminuit. Iuvenis, propositum perfecit se Christo omnino vovendi et, praehabito spiritualis moderatoris consensu, privatum castitatis votum emisit. Postea, orationi vacans, percepit se a Domino vocari ad ipsius vultum contemplandum in iuvenibus mulieribus operariis quae nimio exhauriebantur labore. Propositum excogitavit domum instituendi ad eas excipiendas et iisdem congruentem formationem culturalem et religiosam tradendi; et quo melius eis inserviret, consilium quoque cepit novam religiosam Congregationem condendi. In his

exsequendis inceptis tam a spirituali moderatore quam ab ipsis familiaribus est suffulta. Ab initio tamen quaedam obstiterunt illi difficultates ex parte Archiepiscopi Valentini qui, quamvis de probitate propositi persuasus, puellam adeo iuvenem sic onerosum inceptum promovere posse diffidebat. Serva Dei voluntati auctoritatis ecclesiasticae humiliter obtemperavit; interea tamen ipsa, sub oboedientiae virtute iugiter agens, omnibus nisa est viribus ut obstacula vinceret in opere ad rem adducendo, ad quod a Domino vocabatur. Ideo anno MDCCCLXXXIV licentiam accepit ut domum aperiret ad operarias recipiendas, et eodem anno scholam gratuitam pro earum filiis instituit. Aliae iuvenes, eiusdem incepti apostolici participes, cum ea propediem sunt sociatae. Anno MDCCCXCII facultatem obtinuit condendi Institutum, quod pridem ei cordi erat, et ita nata est Congregatio Ancillarum Mariae Immaculatae. Die XIX mensis Martii anno MDCCCXCV sorores emiserunt vota temporaria, ac deinde perpetua mense Septembri anno MCMXI. Opus interdum in alias Hispanicas regiones dilatabatur sub sapienti et prudenti moderamine Servae Dei, quae tam filias spirituales quam iuvenes protectas ad christianas et religiosas virtutes permanenter excolendas formavit. Fidem in Christo et in revelatis veritatìbus incunctanter testata est; et divino firmata praesidio, audacia aggressa est incepta ut voluntatem Domini peractam contemplaretur. Propriam spiritualitatem nutrivit cultu prosequens Sanctissimum Sacramentum, Beatam Mariam Virginem, Sanctum Ioseph et Sanctam Teresiam a Iesu. Deum super omnia dilexit et omnino se dedit puellis in difficultate versantibus. Maternam iustamque se praebuit erga filias spirituales. Obligationes proprii status et Regulas Instituti stricte servavit. Ad exsequendam iustitiam socialem peculiari adlaboravit studio. Temperatam austeramque vitam duxit et ab opibus honoribusque terrenis disiunctam se ostendit. Indiviso fidelique corde Christum suum sponsum dilexit. Aegritudines patienter pertulit quibus correpta fuit extremis vitae annis. Die XVI mensis Ianuarii anno MCMXVI cursum terrenae exsistentiae confecit, ut aeternam acciperet mercedem, ad quam omnes vires vitae vertebantur.

Diffusa iam eius sanctitatis fama, anno MCMLIII incohatus est Processus Informativus et conclusus anno MCMLVI. Servatis omnibus de iure servandis, Nobis coram promulgatum est Decretum super heroicitate virtutum die VII mensis Iulii anno MCMXCVII, atque die V mensis Iulii anno MMII approbatum est Decretum super miraculo. Statuimus igitur ut ritus beatificationis Romae perageretur die XXIII mensis Martii sequentis anni.

Hodie igitur in foro Basilicam Sancti Petri Apostoli Vaticanam prospiciente inter sacra hanc ediximus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Mauricii Gaidon, Episcopi Cadurcensis, Antonii Mariae Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, et Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Bonhomme, Maria Perdolens Rodríguez Sopeña, Maria Caritas Brader, Ioanna Maria Condesa Lluch et Ladislaus Batthyány-Strattmann Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Petri Bonhomme die nona Septembris, Mariae Perdolentis Rodríguez Sopeña die decima Ianuarii, Mariae Caritatis Brader die vicesima septima Februarii, Ioannae Mariae Condesa Lluch die decima sexta Ianuarii et Ladislai Batthyány-Strattmann die vicesima secunda Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quae autem decrevimus volumus et nunc et in perpetuum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Martii, anno Domini MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 539.603

IV

Venerabili Dei Servae Mariae Perdolenti Rodríguez Sopeña caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Hac libertate nos Christus liberavit» (*Gal* 5,1).

Per Evangelium enuntiatum eius dignitatem creaturae ad imaginem et similitudinem Dei factae (cfr *Gn* 1, 26) homini ostendit Ecclesia, quae Christi sanguine est redempta, qui homines a morte peccatoque liberavit. Haec di-

gnitas inhumanis saeculi XIX condicionibus saepenumero est proculcata, in quibus haud pauci operarii versabantur, quibus liberandis operam dedit Dei Venerabilis Serva Maria Perdolens Rodríguez Sopeña. Caritate namque ipsa incitata, complura suscepit incepta, ut Christus inter operarios adesset. Fidelis testis haec Dei amoris in loco *Vélez Rubio* in Hispania die XXX mensis Decembris anno MDCCCXLVIII orta est. Primis temporibus saepe una cum familia mutavit domicilium, ut patrem sequeretur iudicem. Adulescens aegrotos etiam contagiosos invisere solebat. Viginti annos nata Matritum petiit ubi in carcere feminarum, valetudinario scholisque doctrinam catholicam tradidit. Postea Portum Divitem adiit, ubi consociationem Filiarum Mariae condidit, exinde ad urbem Sancti Iacobi in Cuba accessit, ubi «Centra institutionis» constituit, ut indigentes in humanis christianisque rebus educarentur iique iuvarentur. Sororum a visitatione seu «Salesarum» claustrum ingrediendi habuit animum, sed intellexit se alio a Domino vocari. Matritum remigravit atque in quodam ex pauperrimis locis «Operam doctrinarum» incohavit quae varias in Hispaniae urbes inducta est. Eodem tempore laicorum manum constituit, qui ita instituti sunt ut suum per opus terrestres res ad Christi spiritum animarent. Anno MCM Romam petiit iubilarem annum celebratura, ibique suo in proposito novum Institutum condendi est confirmata. Subsequenti anno Loyolam spiritalium exercitationum causa adiit, atque una cum octo sociis actum fundationis Instituti Dominarum Catechistarum composuit, cuius ortus officiose die tricesimo primo mensis Octobris anno MCMI Toletana in urbe perhibetur. Dei Serva praeterea civilem consociationem condidit, cuius titulus «Opera socialis et culturalis Sopeña», ut inter operarios eorumque familias fraternitatis spiritus concitaretur. Illis annis «Centra Operaria Institutionis» confirmavit, omnino conscia opifices humaniter christianeque cultos facile Evangelii nuntium accepturos. Insigni germanaque fide sustentata tractabile fuit apud Dominum instrumentum, in quo magnorum operum audacter agendorum repperit vim. Precatione, erga Sanctissimum Sacramentum Virginemque Mariam devotione suum spiritum aluit. Eo quod Christum diligebat, desertioribus hominibus subvenit. Suis moribus corda humilioris ordinis hominum attigit, quos ad Christum suscipiendum comparavit. Prudenter aequabiliterque complura sua instituta rexit itemque evangelica consilia et sui Instituti regulam ad amussim servavit. Difficultates patienter toleravit necnon oculorum infirmitatem, qua adulescens affecta est, et diabetem, suos Domino offerens dolores, qui eam die decimo mensis Ianuarii anno MCMXVIII ad se vocavit.

Eius propter evulgatam sanctitatis famam anno MCMLVI Processus Informativus incohatus est. Iis absolutis iure statutis rebus, Nobis coram decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die XI mensis Iulii anno MCMXCII prodiit, atque die XXIII mensis Aprilis anno MMII super miraculo decretum evulgatum est. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die XXIII mensis Martii subsequentis anni celebraretur.

Hodie igitur inter Missarum sollemnia in area Sancti Petri hanc protulimus formulam:

« Nos, vota Fratrum Nostrorum Mauricii Gaidon, Episcopi Cadurcensis, Antonii Mariae Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, et Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Bonhomme, Maria Perdolens Rodríguez Sopeña, Maria Caritas Brader, Ioanna Maria Condesa Lluch et Ladislaus Batthyány-Strattmann Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Petri Bonhomme die nona Septembris, Mariae Perdolentis Rodríguez Sopeña die decima Ianuarii, Mariae Caritatis Brader die vicesima septima Februarii, Ioannae Mariae Condesa Lluch die decima sexta Ianuarii et Ladislai Batthyány-Strattmann die vicesima secunda Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Praestabilis haec mulier, quae totam suam vitam Deo omnino consecravit proximis inserviens, insignes dedit religiosae pietatis operumque bonorum testificationes. Exoptamus igitur ut christifideles omnes, huius caelitis patrocinio et exemplo adducti, terrena posthabeant et ad superna usque contendant.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Martii, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.198

V

Venerabili Servae Dei Mariae Caritati Brader Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc* 16,15).

Haec verba a Christo apostolis pronuntiata in corde Venerabilis Servae Dei Mariae Caritatis Brader resonabant cum longas per horas prope tabernaculum adstabat. In contemplatione revera enascebatur in ea desiderium Christi verba ad terras longinquas afferendi atque pauperes adiuvandi.

Die XIV mensis Augusti nata anno MDCCCLX in loco vulgo *Kaltbrunn*, prope urbem Sancti Galli in Helvetia, sequenti die baptismum accepit atque nomen Mariae Iosephae Carolae. Iam ab infantia sanctos imitari voluit ut etiam ipsa sancta fieret: haec fuit eius mens totam per vitam. Scholis expletis primariis, collegium frequentavit « Maria Hilf » in *Altstätten* a religiosis Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci administratum. Religiosarum exemplum eam incitavit ad vitam Deo omnino vovendam. Die I mensis Martii anno MDCCCLXXXI vestimentum induxit franciscale in conventu *Altstätten* atque nomen Mariae Caritatis Amoris Spiritus Sancti est consecuta. Die XXII mensis Augusti anno MDCCCLXXXII religiosa nuncupavit vota. Precibus et meditatione amorem erga Dominum diligenter aluit atque sua sponte missionibus in America Latina se dicavit ut Eum alii etiam cognoscerent. Laetitia plena, die XIX mensis Iunii anno MDCCCLXXXVIII simul cum sex sociis terram petiit Aequatoriae. Anno MDCCCXCIII, post laboriosam navitatem in *Chone* et post fructuosam catechizationem plurimos inter infantes, ad fundationem destinata est in *Túquerres*, Columbiana in terra. Missionalia ob proposita Congregationem condidit anno MDCCCXCIV Franciscanarum Mariae Immaculatae. Erga Eucharistiam demonstrans singularem pietatem, in Iesu Sacramentato invenit fontem et pondus suae vitae. Amore incitata ad Iesum Eucharisticum, totam se dicavit ut privilegium Adorationis Perpetuae obtineret die ac nocte, quod veluti praecipuum patrimonium reliquit communitati, simul cum amore et veneratione erga sacerdotes, Dei ministros. Vitam spiritalem diligens, continua vivebat in praesentia Dei. Omnibus in eventibus manum videbat providentialem et misericordem Domini atque alios adhortabatur ut « in omnibus rebus voluntatem viderent Dei, et per amorem ad Eum, laeto animo eius explerent

voluntatem». Dictum eius vitae fuit sententia: «Deus hoc vult». Clara ista sancti Francisci Assisiensis filia alta omnino ratione charisma vixit franciscale quod manifestavit continua in conversione, contemplatione et Dei adoratione, in amore paupertatis evangelicae nec non in simplicitate et in humilitate. Caritas facta est in ipsa facultas ad se ipsam aliis dandi. Christus fuit semper culmen eius vitae et adimpletio voluntatis Dei unicum munus. Expletis LXXXII annis, mortem praesentiens, suas adhortabatur filias: «Decedo; nolite bona relinquere opera quae Congregatio in manibus habet, eleemosynam scilicet et multam caritatem erga pauperes, altam dilectionem inter sorores, fidelitatem episcopis et sacerdotibus». Die XXVII mensis Februarii anno MCMXLIII animam suam Creatori tradidit. Sepulcrum eius in loco *Pasto* meta est plurimarum peregrinationum.

Omnibus de iure diligenter expletis, Nos Ipsi die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX declaravimus Venerabilem Servam Dei Mariam Caritatem Brader virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse. Die XXIII mensis Aprilis anno MMII, Nobis adstantibus, decretum super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Servae Dei deprecationi est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die XXIII mensis Martii anno MMIII Romae perageretur.

Hodie igitur inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Mauricii Gaidon, Episcopi Cadurcensis, Antonii Mariae Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, et Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Bonhomme, Maria Perdolens Rodríguez Sopeña, Maria Caritas Brader, Ioanna Maria Condesa Lluch et Ladislaus Batthyány-Strattmann Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Petri Bonhomme die nona Septembris, Mariae Perdolentis Rodríguez Sopeña die decima Ianuarii, Mariae Caritatis Brader die vicesima septima Februarii, Ioannae Mariae Condesa Lluch die decima sexta Ianuarii et Ladislai Batthyány-Strattmann die vicesima secunda Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Martii, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 540.257

VI

Venerabili Dei Servo Marco ab Aviano caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Pacem tantum nos volumus: pacem tecum, Deus, pacem nobiscum pacemque cunctis cum proximis ».

Verba haec a Venerabili Dei Servo Marco ab Aviano prolata, liquido eius franciscalis vitae missionisque sacerdotalis ostendunt exemplar, quam « pax et bonum » designant. Ubique namque terrarum ipse Dei verbum enuntiavit itemque suae aetatis homines ad conversionem incitavit et ad Christo deditionem. Illius praeterea temporis condicionibus ad operandum est incitatus, ut in Europa pax restitueretur, quae ex iustitia oritur (cfr *Is* 32, 17), utque catholicarum potestatum libertas earumque unitas pro fide tutanda servaretur.

Filius hic sancti Francisci Assisiensis Aviani dioecesis Concordiensis-Portus Naonis die XVII mensis Novembris anno MDCXXXI Marco Cristofori ac Rosa Zanoni parentibus iisque ad altiorem ordinem pertinentibus natus est, cui nomen indiderunt Carolo Dominico. Nativo in oppido primam spiritalem culturalemque institutionem recepit, quae exinde apud Iesuitarum collegium Goritiae aucta est. Inibi pietatem roboravit atque nonnullis marialibus sodaliciis nomen dedit. Circiter XVI annos natus Collegium deseruit ut martyr pro fide interiret. Fame laboreque exhaustus, apud Fratrum Minorum Capuccinorum claustrum Iustinopoli est receptus atque animadvertit se ad

Francisci Assisiensis disciplinam vocari. Anno MDCXLVIII Capuccinorum claustrum Coneliani ingressus est atque die XXI mensis Novembris subsequentis anni vota nuncupavit sibi Marcum sumens nomen. Philosophicis theologicisque rebus doctus, die XVIII mensis Septembris anno MDCLV sacerdotali ordine est auctus. Superioris postea egit partes coenobii Bellunensis anno MDCLXXII et anno MDCLXXIV claustri Opitergini. Acri promptoque ingenio praeditus necnon religionis studio assidue Dei verbum proclamabat. Ab anno MDCLXXVI complures eiusdem precationibus sanationes adscribebantur, ut illius saeculi miraculorum auctor diceretur. Tot mirorum eventuum opinio una cum apostolico studio sanctitatisque vita omnium ordinum homines pellexit. Ipse de animarum salute sollicitus complura Italiae Europaeque loca adiit, ubi studiose a frequentibus hominibus ac potestatibus est receptus. Summo Pontifice praecipiente, ab Austriae imperatore petitus, anno MDCLXXXIII Vindobonam se contulit, quae a Turcis obsidebatur. Christianarum potestatum voluntates conciliavit atque spiritaliter exercitum ad hostem profligandum et victoriam obtinendam comparavit. Alias quoque primas egit partes ad victoriam christianarum copiarum adipiscendam. In omnibus rerum adiunctis cunctis fuit quoad apostolicum iuvamen et virtutum humanarum christianarumque exercitium exemplo. Cum in Christo usque niteretur, absque metu christianas veritates proclamavit easdemque in populum induxit, omnibus amotis doctrinae erroribus. Precatio assidua, Sacra Scriptura et cultus erga sacram Eucharistiam Virginemque Mariam eius spiritalem vitam sustentarunt. Mentem suam usque in Dominum ac superna bona direxit, terrestribus rebus vanitatibusque posthabitis. Actum perfecti doloris late indidit atque suos per sermones peccatores ad bonam frugem compulit, Domini ostendens misericordiam. Sodalibus caritatem demonstravit cunctisque quos convenire solebat. Etiam in Turcas iustitiam et misericordiam exercuit atque effecit ut ultiones vitarentur. Insignis spiritalis moderator a fidelibus habitus est, inter quos Leopoldus imperator illiusque temporis primarii homines annumerantur. Religiose Regulam et Ordinis constitutiones servavit. Ut Franciscalis vitam exegit temperatam simplicemque, qui acres paenitentias sustinuit et suos mores sensusque est moderatus. Mense Maio anno MDCXCIX postremum iter suscepit Vindobonam versus. Valetudo deterior est facta atque ab omnibus operibus cessare coactus est. Omnia ipse patienter toleravit et die XIII subsequentis mensis Augusti ad Dominum demigravit. Paulo ante cuidam sodali dixit: « Faciat Dominus quod ad suam gloriam redundet: aliud haud exopto ».

Eius propter sanctitatis famam anno MDCCCXCI Processus informativus incohatus est, qui ad finem est adductus anno MCMIV. His perfectis iure statutis rebus, Nobis coram de virtutibus heroum modum exercitis die VI mensis Iulii anno MCMXCI prodiit decretum et die XXIII mensis Aprilis anno MMII decretum de miraculo est comprobatum. Statuimus ut beatificationis ritus Romae die XXVII mensis Aprilis subsequentis anni celebraretur.

Hodie igitur, in foro Petriano, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Christophori Cardinalis Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis, Michaëlis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Tarsicii Bertone, Archiepiscopi Ianuensis, et Flavii Roberti Carraro, Episcopi Veronensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Dei Servi Iacobus Alberione, Marcus ab Aviano, Maria Christina Brando, Eugenia Ravasco, Maria Dominica Mantovani et Iulia Salzano Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iacobi Alberione die vicesima sexta Novembris, Marci ab Aviano die decima tertia Augusti, Mariae Christinae Brando die vicesima Ianuarii, Eugeniae Ravasco die vicesima quarta Octobris, Mariae Dominicae Mantovani die tertia Februarii et Iuliae Salzano die decima septima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Beatus hic, qui complura maxime pro populorum unitate et reconciliatione patravit simulque mirandas dedit virtutum testificationes, non modo fidelibus est colendus, verum etiam imitandus ut, terrena despicientes, in rectam viam inducantur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 540.479

VII

Venerabili Dei Servae Sidoniae Schelingová caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ridebit mundus, sed ego flagranter esse martyr cupio, quemadmodum tu fuisti, mi amatissime Christe ».

